

modo pro aliis tantum solvit, si ipse pro se debuit? Videntur itaque hæc omnino pugnare. Sed videntur. Nimirum Peccator Christus fuit ita, ut peccatum non noverit 2. Cor. V, 21. Peccatorum, ut Augustinus loquitur, non commissor, sed susceptor extitit. Vocat peccata SUA Pl. XL., 13. non admissione, sed imputatione, non quod fecerit (2. Corinth. V, 21. Ebr. VII, 26.) sed quod Pater in ipsum totius mundi peccata (Esai. LIII, 6. עֲפִיחַ) conjecerit. Quo sensu B. Lutherus: Christum omnium peccatorum gravissimum (quod scilicet omnium omnino hominum peccata ipsi imputata fuerant) appellare non dubitavit, dicens: Omnes Propheta viderunt hoc in spiritu, quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida &c. quo nullus major unquam in mundo fuerit. Quia existens hostia pro peccatis totius mundi, jam non est persona innocens & sine peccatis, sed peccator NB. qui habet & portat peccatum Pauli blasphemii, Davidis adulteri & homicida: in summa, qui habet & portat omnium peccata in corpore suo. NB. Non quod ipse COMMISERIT ea, sed quod ea a nobis commissa SUSCEPERIT in corpus suum, pro illis sanguine proprio satisfactorus. Tom. IV. Lat. Jen. Comment. in Epist. Gal. Tom. I. Witteberg. fol. 281. b. Altenburg. Tom. VI. fol. 698. a. Vani ergo sunt latratus ex Ignatiana familia canicularum Khiffenpfennigii Idea Lutheranismi. cap. I. §. 10. Vetteri, Kreuzii, aliorum: quasi atrocissimam in Christum blasphemiam propterea commiserit. Vide Dn. D. Mull. Defens. Luth. fol. 311. seqq. Vapulat quidem orthodoxis Celsus, apud Originem proclamans: Christum esse summum peccatorem, quod Deus ipsum peccatum fecerit; sed Cælius peccatorem inbasive talem (quod Lutherus non fecit) intellexit. Nec quisquam nostrum probat istam quorundam Codd. Augustini tempore lectionem: Is qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, quam B. Augustin. ut Mendosam, Encbirid. cap. XI. I. & L. II. cap. Maximin. cap. II. merito improbat. Ubi obiter annotamus Hieronymi hallucinationem, ne-